



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Concilia Provincialia Mediolanensis Sex**

**Borromeo, Carlo**

**Venetiis, 1602**

Speculatio in ministris publicæ curationis adhibenda. Cap. XXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

**P**arochus, & Sacerdotes curationis publicæ cum diligentem in alijs morum speculationem, curam, exercitationemque pietatis adhibuerint; hoc etiam maximè studebunt, ut ipsi, piè, sanctèq; viuendi studio, omnique religionis officio, atq; omni documento, & exemplo, ceteris omnibus præluceant, ac summa quidem cautione in eo vtantur, vt non modo quicquam non offendant, peccent; sed ab omni peccati suspitione planè liberi sint.

Omni igitur intima, & externa pietate in illis publicæ curationis locis feruent Dei gloriæ, cuius religiosus cultus perpetuò ob eorum oculos versari debet.

Studio caritatis, quæ in eorum animis fixa semper inhereat, agent omnia.

Quo studio ducti, & curæ susceptæ officio commoti longè ab ijs actionibus refugient, quæ offensionem, aut mali suspitionem parient.

2 Cauebunt, nè eos, qui peste, suspitione uè laborant, ad testamenti factionem, aut ad aliud ultimæ uoluntatis genus, nè agnatis quidem illorum flagrantibus, ullo modo inducant, atque impellant: nisi aliquando, uel Christiana caritas, uel propinquorum status, commiseratione dignus, aliter suaserit: tuncque si temporis spatium datur, rem ipsam, vt est, cum Episcopo, aut præfecto regionario, aut Vicario suo foraneo communicabunt.

3 A testamenti, codicillorum, donationis, & alterius id generis ultimæ uoluntatis conscriptione abstinebunt; nisi ugens necessitas aliter deposcat, cum alij scilicet æquè idonei non sint, neque aliundè asceri possint, qui conscribant: tuncque ut auaritiæ, & fordidi quæstus suspitioni occurratur, testes, quò ad eius fieri potest, auctoritate, & uitæ moribus insignes adhibebunt.

Idem præstabunt, si quando aliorum pecuniam, supellectilem uè asseruandi, aut in aliquem usum erogandi, curam suscipient.

Speculatio in ministris publicæ curationis adhibenda. Cap. XXIIII.

S V M M A R I V M.

- 1 Parochi & Sacerdotum Speculatio in ministris publicæ curationis, & quibus capitibus constet, & quorum opera exequenda. 13.  
2 Antiani nihil extorqueant, surripiantque. 3.

Manè



- 4 Manè non vespèri ad curationis locum, perducendi.
- 5 Viui cum mortuis; infecti cum suspectis non asportandi.
- 6 Supellex infecti, à supellectile suspecti separatim vehenda.
- 7 Liberis à peste domum redeuntibus, spacium concedendum ad res suas colligendas.
- 8 Tuguria infectorum à suspectis; hæcque à minus suspectis, ut diuidenda.
- 9 Liber eorum qui ad loca curationis publicæ adducuntur, & qualis.
- 10 Tugurio in vnoquoque palea, culcitra, lodix non desit.
- 11 Infectis, suspectis, lectus, supellex, medicine, cibus opportunè & Ministrisque ordine parandi.
- 12 Supellex, tuguriaque lignea infectorum, & suspectorum, purganda, & quæ comburenda: quæque alia agenda.

**I** Arochus Sacerdos, qui in hospitalibus, publicis ædibus, locisue tuguriorum spiritualem curam gerit, hæc diligenti speculatione videbit.

Primò, ut eorum locorū præfecti, curatores, ceterique omnes, qui, vel operam, vel officium, vel famulatum in illorum hominū, curā, subleuationemque cōferunt, nè quid negligant, prætermittant, deserantue, quod ad operæ, curæ, officij, ministerijue suscepti partes attinet.

Ut nè quid præterea committant, quod illis fraudi, & detrimento sit: quodque pia sollicitudine, & sincera cura, quam nauare debent indignum existat.

Quare ipse Parochus, Sacerdosue præcipua capita, mox infra demonstranda, in primis animaduertet, in quibus scilicet frequentes eorū offensiones esse solent.

Ut potissimum illi ipsi, quicumque sint, caritatis studio, non negligenti opera, non languescenti ministerio, nec verò immodeste, non petulantur, non proteruè, non contumaciter exequantur debiti officij partes.

Ut mulieris morbosæ, suspectæue corpus, aut cadauer dumtaxat inspiciatur, cum necesse maxime est. Et verò inspectioni necessarij solum ministri intersint, utpotè medicus, Chyrurgus, mulier aqua, & alius præterea nemo.

Ut inspiciendis item marium corporibus ministri tantum adhibeantur, qui videlicet necessarij sunt.

2 Videbit item Parochus, Sacerdosue, ut præfecti, vespillones, vicinæ curatores, quos Antianos dicunt, alijque ministri, nihil omnino pecuniæ, muneris, donique extorqueant, cum vel domicilia clauduntur,  
vel



vel aperiuntur, vel alia quavis occasione modouè  
 3 Vt ne pecunia, resque aliqua, aut supellex peste languentium vel suspectorum, vel mortuorum dirripiatur, dissipeturque & maxime cum vel domo educuntur, vel moriuntur, vel in sepulturam traduntur, vel eorum domicilia purgantur, aut eorum supellex ad loca purgationis exportatur.

4 Vt qui ad loca publicae curationis perducuntur, vehunturque, non vesperi, aut sub nocte, sed bene mane si fieri potest, perducantur, asportanturque, quo Sacerdotibus, qui in ijs curationis locis resident, temporis spacium detur audiendi eorum confessiones, & alia, quae domi non susceperant, spiritualia adiumenta ministrandi, antequam nox adueniat; in qua, ut plerisque accidit, morte eripiant.

5 Vt ne eodem curru, vehiculouè mortui simul & viui; aut morbo tabescentes vnà cum his, qui solum suspecti sunt, asportentur, si modo tamen suspecti non illi quidem sunt, qui sua sponte morbo affectis operam, curam, & studium nauent.

6 Vt haec ipsa cautio, diligensque distinctio in exportanda, importandaue supellestili adhibeatur, ut illa scilicet, quae peste languescentis est, distincto curru, ac separatim vehatur, ab ea, quae suspecti hominis est. Ideoque curandum erit, ut vehicula plura, quo ad eum distinctio- nis usum satis sint, in tempore apparentur.

7 Vt ijs, qui ad loca publicae curationis, domo abducuntur, temporis spacium detur colligendi pecuniam suam, supellestilem disponendi, constituendique ceteras res domesticas: ita tamen, ut ne diuturnior mora frangi sit, & detrimento valetudini publicae.

Vt spacium etiam detur colligendi sarcinulas, & aduehendi secum lectum, culcitra, stramentitias, lodices, linteamina, tegetes, stercora, vestes, & alia id generis vsui necessaria. Sin autem ab initio tempus non habuerunt, detur postea, adhibita custodia, ut motis est, & cautione.

Vt euitanda contagionis causa, tuguria morbo languentium, aliquo in erecto sepimento, verè ab illis seiuncta sint, quae suspecti habitant. Eadem cautio adhibeatur tuguriorum, ubi sunt minus suspecti, ut separentur ab ijs, qui grauissimè suspecti sunt. Itidè de conualescentibus.

9 Vt ordine describantur certo libro quicumque ad loca publicae curationis abducuntur. Quae descriptionis ratio vniuscuiusque tugurij, cellaue numero respondeat; ut singuli à Parocho, Sacerdoteue constituto, medico, chirurgo, ceterisque ministris, facile, distinctè inueniantur.

Vt ob eam ipsam causam, quoties quis recens ad loca curationis venit, aut inde abit; aut de vno in alterum commigrat; id omne iisdem ministris significetur, & Sacerdoti praesertim, ut ministerij sui partes ei praestet.



10 Vt in cuiuscuiusque tugurio, cubiculouè ad lectum sternendum quo ad eius fieri potest, satis paleæ sit, culcitra item stramentitia, & cento, lodixuè.

11 Vt quibus vel ex morbo laborantibus, vel suspectis, lectus, stramentis laneis, aliaque supellectile apparari, & sterni debet, ij pro ratione, statuque personarum, illud ipsum commodum consequantur, & ministri item publicè ad locum curationis constituti.

Vt iisdem ministris, alijsque rectè ualentibus victus certa ratione suppeditetur, qui satis sit.

Vt ægrotis item statà hora subministretur, quibus etiam ratio adhibeatur cibi, qualis sit, & quantus, & quo item modo præbeatur.

Vt medicinarum, medicamentave in tempore, certisque præscriptis horis, & ordine apparentur, conficiantur, & præbeantur.

12 Vt & uestes, & supellex, & tuguria, cubiculave, quæ ex asseribus constructa sunt, ubi peste infecti, suspective manserunt, aut mortui sunt, prout oportunitas tulerit, diligenter purgentur. Illa uerò tuguriola ex paleis inflammentur. Nec uero usui sint alijs, qui solùm suspecti sunt.

Vt ea ipsa tuguriola, cum opus est, palea recenti, cum intrinsecus optimè circumuestiantur; tum extrinsecus undique obtegantur, ut nè quando pluuia influat.

Vt mortuis efferendis, & sepeliendis nihil contrà agatur, fiatue, quàm de efferendi, sepeliendive modo, & de loco, ubi sepeliendi sunt, Episcopus statuerit.

Vt uerò hæc omnia in executionis usum rectè inducantur; Parochus, omnisque alius Sacerdos, quicumque intra tuguriorum septa curam gerit, præfectus regionarius, & Vicarius foraneus, ut diligentissime poterunt, curabunt, crebris cohortationibus, assiduisque ad monitionibus, omni caritate plenis; atque ad eò, ubi opus est, reprehensionibus. Et omni præterea paterno officio cum illis agent, ad quos summa curationis spectat, ut ordine, & quàm rectissimè cuncta gerantur. Quod si ne his quidem officijs, quicquàm adiuuenti ad rem optimè administrandam non afferent; per fugiũ, ut primũ possunt, ad Episcopum habebunt, cuius consilio, studio, ope, & auctoritate, etiam apud magistratum, ut opus erit, si quæ perperam aguntur, ad rectam normam redigantur.

Visitationis officium multiplex. Cap. XXV.

SUMMARIUM.

Visitationis officium multiplex in quibus consistat. num. 1.

Regionum